

1996-07-31 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Nos Ipsi’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

NOS IPSI

**TEMPLUM CATHEDRALE DEO DICATUM IN HONOREM
S. STEPHANI PROTOMARTYRIS IN DIOECESI PRATENSI
AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Nos Ipsi, decem ante annos, in itinere Nostro Apostolico veneratione atque obsequio prosecuti sumus Beatam Mariam Virginem, cuius pretiosa reliquia, Sacrum scilicet Cingulum, cathedrali in templo Pratensi asservatur. Nunc vero, prae oculis habentes spiritale bonum omnium christifidelium qui illam sacram aedem Deum adprecaturi petunt, libenti animo obsecundare volumus petitioni Venerabilis Fratris Gastonis Simoni, Episcopi Pratensis, qui, cleri populi que sibi concrediti vota interpretatus, rogavit ut memoratum templum cathedrale Deo dicatum in honorem S. Stephani Protomartyris titulo Basilicae Minoris exornaretur. Itaque de Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consultu, Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, statuimus ut sacra haec aedes ad titulum ac dignitatem Basilicae Minoris evehatur, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis hoc nomine insignibus rite competunt, secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris», die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX datum. Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXXI mensis Iulii, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status